



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio I. Vtrum detur in Deo voluntas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)


tationis affectu; in illo semper beatitudinis apice immobilis, & inconcussa perdurans,] similia dicit Basilii in id *Psalmi* 37. [Domine ne in furore tuo arguas me, inconuenientia autem, quæ ex tali modo loquendi sequatur sic proponit Tertulianus libro 2. *aduersus Marcionem*, [si Deus mutatur, irascitur, & æmulatur, & extollitur; & exacerbatur: ergo & corrumpitur: ergo & morietur, quod inconueniens etiam eruit Augustinus libro quarto, de *Trinitate*, docens, omne mutabile esse corruptibile; unde libro 5. de *Trinitate*, capite secundo, sic ait: [alia essentia, vel substantia accipiunt accidentia, quibus in eis fiat, vel magna, vel quantacunque mutatio; deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest, & ideo sola substantia, vel essentia, quæ est Deus, incommutabilis omnino est,] quod ante docuerat Hylarius enarrat. in *Psalmum* 2. ibi, [beata illa perfecta, æternaque virtutis bonitas non patitur conuersionem, nec demutatur ex alio in aliud motu accidentis instinctus,] idem Anselmus in *Monolog.* capite 24. Hugo Victor. libro 7. *eruditionis Didascal.* qui est de *Trinitatis* per visibilia agnitione, capite 20. unde Cyrillus Alexand. de generatione Verbi loquens sic ait, [hominis quidem natura ad nihilum redigitur, moritur, & corrumpitur, quia ante mutatur, ante nuncium enim mortis, & corruptionis videmus mutationem; quid enim mirum si ex nihilo producta corruptioni subijciatur; Deus autem viuus, & immortalis semper vnus, semper idem, sine vlla transmutatione perseuerans.]

Itaque caute loquendum est, dum motus nomine utimur, dum de Deo loquimur; quia phrasibus absolute prolata imperfectiorem sonat, quia dicit, produci realiter vnum ab alio per causalitatem; ergo si Deus comparatione suæ cognitionis nullo modo est causa productiua aut receptiua, nullo modo erit principium se intentionaliter mouendi per illam, quia intellectio diuina absolute, ac simpliciter sumpta est ipsa simplicissima essentia Dei sine vlla distinctione ab ipsa, alias existens in ipsa essentia simplicitatem tolleretur diuinam, & compositionem imperfectam introduceret, quapropter in Deo non motus simpliciter, sed purissima actio, seu actualitas concedenda est, & ideo vt dixi, actio vt sic, seu operatio immanens eo modo, quo explicuimus, diuiditur in operationem, seu actuationem virtuales motum includentem, & hæc est vita Dei, & in actuationem formalem motum includentem, quo se ab intrinseco mouet creatura cum imperfectionibus vere, & proprie principij productiui, causatiui, & receptiui intra seipsam, quod nullo modo potest repetiri in vita Dei, quæque quantumuis diminutionem excellentiæ, & potentialitatis immersionem includant, propriissime tamen sunt respectu creature, quæ in actu primo viuendi aliis imperfectionibus similibus circumdatur, per quas omnino differt à Deo: ergo non mirum, quod vita Dei summe perfecta sit in pura actualitate consistens, è contra creature vita maximis imperfectionibus plena sit.



DISPUTATIO XIX.

De existentia, & perfectione diuinæ voluntatis.



QVÆSTIO I.

Vtrum detur in Deo voluntas.

SECTIO I.

Conclusio ponitur.

Conclusio: in Deo datur proprie, ac formaliter voluntas; hæc veritas aperte definita est in Scriptura: *Psalm.* 113. dicitur, [Deus autem noster in celo omnia quæcunque voluit fecit, simulacra gentium, argentum & aurum,] vbi Propheta David pulchra anthithesi declarat ingens discrimen inter verum Deum, & idola, seu fictos Ethnicorum Deos, nam hi instar auri, & argenti nulla voluntatis excellentissima perfectione gaudent, ac proinde nequeunt cultores liberare, Deus autem verus voluntate omnipotentis præest rebus omnibus, maximumque auxilium præbet cultis, ac veneratione reuerentibus ipsum, quia ad nutum suæ voluntatis omnia operatur, executionique exemplo mandat, quod expresse docuit Paulus ad *Ephes.* 1. cap. ibi: [secundum propositum eius, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ,] vbi Apostolus agit de arcano ac profundo mysterio diuinæ prædestinationis, & electionis, vt late probauimus in materia de prædest. *quæst.* [Vtrum electio ad gloriam sit ante præuila] merita, & secundum aliorum explicationem loquitur de electione diuinæ vocationis ad fidem, & gratiam, quæ sane tametsi videatur nobis vt quædam fors fortuita secundum illud *Psalmi*, si dormitis inter medios ceteros, pennæ columbæ deargentatæ postiora dorsus eius in pallore auri, à deo vero procedit ex decreto, & proposito prudenti, & diuino consilio habito: ergo manifeste docet Paulus in deo dari perfectissimam voluntatem liberam. Quam etiam veritatem proclamant Scriptura aliis perspicuis & elatis locis, aut euidentibus indiciis innuit, vt ad *Roman.* 12. vt probetis, quæ sit voluntas dei, & ad *Ephes.* 1. prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ, & infra; vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ. *Psalm.* 29. vita in voluntate eius, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, *Sapientia* 11. subest enim tibi, cum volueris posse, quomodo, quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses, *Ps.* 103. omnia quæcunque voluit, fecit, *Genes.* 27. voluntas dei fuit vt cito mihi occurreret, & cap. 45. non vestro consilio, sed dei voluntate huc missus sum. Similiter *Math.* 26. ibi, non sicut ego volo, sed sicut tu, & *Lucæ* 22. non mea voluntas, sed tua fiat, & *Ioan.* 5. non quero voluntatem meam sed eius, qui misit me, &c.

Deinde

2 Deinde etiam confirmant hoc decreta Conciliorum contra haereticos Monothelitas Apollinaristas, Monophistas, deficientia in Christo Domino dari duas naturas, & duas voluntates, divinam videlicet & humanam.

3 Quae veritas de se adeo evidens est ut à Philosophis Ethnicis solo lumine naturali ductis aperte tradatur; v. g. ab Aristotele, qui *ib. 12. met. cap. 7.* disputans, an Dens optimam, ac perfectam actualement vitam habeat summa voluptate, ac perfectissima iucunditate affectam; haec verba profert; [si ita se habet Deus, sicut nos aliquando, admirabile est, quod si magis adhuc, admirabilius est; at ita se habet iucunditas in voluntate cum felicitate in scientia quidem necesse est;] vbi Aristoteles plane, & aperte fateatur Deum iucundissima vita composita ex contemplatione scientiae & fruitione voluntatis gaudere, & *ib. 7. Ethic. cap. ultimo, & ib. 10. cap. 8.* sic ait: [quod si alicuius natura sit simplex, semper eadem operatio iucundissima erit; idcirco Deus vna semper simplicique gaudet voluptate;] sed voluptatis affectus sine dubio est actus voluntatis: ergo in Deo datur perfecta voluntas, cuius actus sit cumulus omnium voluntatum. Praeterea *ib. de mundo ad Alexandrum, prope finem*, ait, [Deus omnia, quod vult movet; & arbitratu suo omnem Rempublicam temperat;] cuius vestigiis inhaesit Marcus Tullius Cicero, *10. lib. 2. de natur. Deorum*, vbi late probat omnia vniuersaeque mundi machinæ Dei voluntate gubernari. Item Socrates apud Platonem *in Alcibiade. 1. sive de natura humana, in fine* praecipit in faciendis esse praefandum [si Deus voluerit,] ab omnibusque rebus mentem abstrahere, & convertere ad Deum docet; & *in Timaeo, sive de natura*; Deus creator à se creatos ocos, id est Angelos sic alloquitur, non estis penitus immortales, neque penitus indissolubiles, non tamen solvimini nec mortis sortem sequimini, cum mea voluntas maius adhuc, & praestantius vinculum vobis contingerit; imo omnes Philosophi in hanc vnam veritatem conspirarunt, nullo dempto; inter quos etiam Poetas numero, teste Marco Tullio; *lib. 1. de natura Deorum*, ut serio omnes hortarentur docerentque in negotiis arduis, magnique ponderis, ut primum à Deo immortaliter ducerent principium, cuius nomine omnia negotia ad exitum felicem perducuntur: imo cunctarum gentium consensus, & lux à natura indita Dei volitionem ostendit; siue quando verum Deum colunt, siue quando superstitionibus, & inanibus sacrificiis idola prosequuntur, quia frustra vel iratos Deos placare sacrificiis, vel ab illis impetrare beneficia contenderent, & conarentur nisi putarent Deo potestatem esse volendi, quia concedere possent quicquid ab eo enixe petitur, & postulat; praecipue quia nemo est, qui non intelligat tam inferiora, quam superiora vniuersum mundum constituentia divinae voluntatis imperio, & nutu gubernari.

SVBSECTIO I.

Rationibus demonstratur, dari in Deo voluntatem.

4 Prima ratio sic; quia Deus est primum ens & prima causa omnium rerum, ac proinde

omnis perfectio, quae est in effectu Dei continetur in ipso Deo, ablatis imperfectionibus creaturarum; sed inter effectus Dei datur aliquis, qui habet voluntatem; v. g. homo: ergo perfectio voluntatis reperitur in Deo ablatis imperfectionibus; quae reperiuntur in homine & in voluntate illius; ita ut ratio perfectionis simpliciter quae reperitur admixta imperfectionibus in voluntate hominis, reperiatur formaliter in Deo; imperfectiones autem, quibus admiscetur illa ratio perfectionis virtualiter, seu eminenter contineantur in ipso, & in ipsius omnipotentia, quia quatenus entia creata debent produci ab ipso, & nihil producitur quin contineatur in producente.

Vergetur; quia ideo demonstramus dari in Deo rationem substantiae formaliter secundum rationem praecisam substantiae, eminenter secundum rationes particulares, quibus admiscetur ratio substantiae ut sic in creaturis, (quae quia imperfectionem dicant in se, non possunt formaliter contineri in Deo) sed tantum virtualiter; quia Deus producit multos effectus, qui sunt vere, & proprie substantiae; sed etiam Deus producit plures effectus, scilicet homines, qui habent veram, & propriam voluntatem: ergo vera, & propria voluntas reperitur formaliter in Deo secundum quod dicit rationem perfectionis simpliciter.

Declaro amplius hoc, quia omnis perfectio participata reperitur in eo, à quo participatur modo proportionato ipsi agenti, à quo participatur; unde quia sapientia creata est participata à Deo; item misericordia, iustitia, & reliquae virtutes, reperiuntur in Deo, quia participatur ab ipso; sed voluntas creata est perfectio participata à Deo: ergo est in Deo proportionato modo perfectioni ipsius, & secundum exigentiam excellentiae eiusdem; atqui continere formaliter rationem voluntatis secundum quod dicit perfectionem sine imperfectione est proportionato modo divinae excellentiae continere, sicut continere eminenter imperfectiones creatae voluntatis, & non formaliter, est continere cum proportionem ad propriam excellentiam: ergo Deus continet formaliter rationem voluntatis.

Confirmatur; quia Deus, ut supra demonstravimus, est summe, & infinite perfectus ac proinde continet omnem perfectionem; sed habere voluntatem est perfectio simpliciter simplex: ergo Deus continet voluntatem formaliter. Minor sic probatur. Quia ut supra tract. de ente ut sic, quæst. vtrum praescindatur ens simpliciter, nihil aliud est perfectio simpliciter simplex ut docet Anselmus, quam id quod melius est ipsum, quam non ipsum, & quam oppositum ipsius; sed dubitari non potest quin Deum posse velle, & amare sit melius, quam non posse, & se diligere quia infinitum bonum melius sit, quam amore se non prosequi: ergo tale posse est perfectio simpliciter simplex: sed posse velle, & amare est voluntas: ergo voluntas formaliter est perfectio simpliciter simplex.

Dices, voluntatem solum contineri in Deo eminenter,

Sed contra, quia eminenter, & non formaliter contineri aliquid consistit in eo, quod altior, & dignior aliqua perfectio sit, quae causat, quam illa quae causatur; sed nulla possibilis est perfectio, quae sit altior, & dignior, quam principium volitivum & volitio praecise, & abstracte considerata secundum rationem perfectionis

Nn 3 fine

sine imperfectione: ergo volitionem, seu voluntatem continet Deus non solum eminenter, sed formaliter.

9 Declaratur amplius, quia continere libertatem formaliter, & non solum eminenter est perfectio simpliciter, unde melior, quam si non contineretur formaliter, sed solum eminenter, quia dicit dominium perfectissimum, & indifferentiam perfectissimam; unde anima rationalis secundum essentiam precise concepta, quatenus distinguitur realiter à libertate, non est tam perfecta, ac quando concipitur cum libertate formali; unde si per possibile vel impossibile Deus tollerit libertatem formalem ab anima, & conseruaret animam sine illa imperfectior esset anima in eo statu se ipsa, ac in altero, in quo haberet libertatem formalem, sicut imperfectior esset anima sine intellectu formali se ipsa, quam cum illo; sed anima ut sic considerata sine libertate formali, quatenus est radix substantialis illius continet eminenter libertatem, quia passiones, & proprietates in eis etiam eminenter continentur; ergo continere formaliter libertatem est perfectius, quam solum eminenter continere illam, ac proinde continentia formalis libertatis, & non solum eminentialis est concedenda Deo, sed libertas formalis est voluntas formalis cum indifferentia, & dominio ad vtrumlibet: ergo in Deo non solum eminenter, sed formaliter datur voluntas.

10 Quod à posteriori ostenditur manifeste: quia homo creatus ad imaginem, & similitudinem Dei appellatur potissimum propter libertatem arbitrii, & propter intellectum, qui continentur in homine formaliter: ergo propter voluntatem formaliter contentam in ipso; atqui exemplar ad cuius imitationem fit aliqua imago debet formaliter continere id, quod efficitur in imagine: ergo Deus, qui est exemplar, ad cuius perfectionem fabricatur imago hominis formaliter continens voluntatem, habet etiam voluntatem formaliter.

11 Secundo sic argumentor principaliter; quia Deus est substantia viuens intellectualiter, sed substantia viuens intellectualiter non solum includit intelligere, sed velle formaliter; ergo Deus non solum includit intellectum, & intelligere, sed etiam voluntatem, & velle formaliter. Maior est certa, ut patet ex dictis. Minorem sic demonstro; quia vita adæquata intellectualis vtrumque actum complectitur, sicut perfecta beatitudo vtrumque actum continet; unde si Deus solum se intelligeret, & non se amaret ac se frueretur, ex sui amore oblectationem, voluptatem haberet, ac iucunditate infinita non perfunderetur, non beatus complete simpliciter, & absolute, sed potius incomplete & secundum quid diceretur beatus, imo miserimus omnium esset Deus, siquidem existeret in statu maxime sibi violento, quia præter naturam, imo contra naturam intellectualem, ac proinde contra impetum internum illius est non posse amare id, quod ut bonum iudicatur; sicut nullam voluptatem, gaudium, & fructum habere dicit statum imperfectissimum; atqui si Deus non haberet voluntatem, nullam voluptatem, nullum gaudium, nullam iucunditatem, & delectationem haberet, nec posset habere, quia sunt actus voluntatis: ergo esset in statu miserimo, & maxime violento quod est falsissimum.

12 Tercio sic argumentor principaliter; quia omni formalitati obiecti correspondet potentia proportionata illi; unde quia Deus est summe intelli-

gibilis, & vernus, correspondet in Deo potentia intellectiva, & intellectio, quæ comprehendat omnes gradus intelligibilitatis diuinæ, & adæquate penetret omnes formalitates illius secundum quod intelligibilis est: sed in Deo datur bonitas, & amabilitas summa, & infinita: ergo debet correspondere in Deo tali rationi obiectivæ aliqua potentia, seu actus comprehensivæ attingens omnes formalitates talis bonitatis, & perfectionis; sed nulla potentia, neque actus est comprehensivæ attingens bonitatem formaliter infinitam secundum quod talis est, & distinguitur à diuina intelligibilitate, nisi voluntas infinita, ac summus, & infinitus amor: ergo in Deo datur voluntas infinita formaliter, & summus ac infinitus amor.

13 Vergetur: quia Deus quando se cognoscit, videt in se pelagus, & abyssum infinitarum perfectionum, ut inquit Damascenus lib. 1. de fide: ergo videt se esse obiectum infinite perfectum, ac proinde infinite bonum: sed infinite bonum est infinite amabile, ac dignum infinito amore: ergo talis cognitio diuina iudicat, debere amari infinito amore tale obiectum, ac per consequens iudicat, dari talem potentiam, quæ debeat amare infinite, ac summe tale obiectum; sed nulla est rerum natura potentia, quæ summe, infinite, & comprehensivæ possit amare Deum, præter ipsum, quia omnis amor creaturarum est finitus, & limitatus: ergo in Deo datur infinita voluntas, & infinitus amor, qui suam infinitam bonitatem, & perfectionem adæquate, & comprehensivæ amet.

14 Præterea; quia omnipotentia, vel quasi potentia passivæ correspondet potentia activa, vel quasi activa; v.g. quia ex parte creaturarum datur possibilitas, ex parte Dei correspondet potentia activa, quæ reducat talem possibilitatem in actum, & quia in Deo datur infinita intelligibilitas per modum potentia passivæ, correspondet ex parte ipsius Dei infinitus intellectus per modum potentia activæ, quæ actu amet, & prosequatur cognitione ipsam, sed etiam in Deo, quatenus bonus, & infinite perfectus est datur infinita bonitas, quæ synonyme infinita amabilitas est ut late disp. de bonitate entis demonstravimus; quæ est quasi potentia passivæ, ut ametur: ergo in tota latitudine entis correspondet illi aliqua potentia, vel quasi potentia activa, vel aliquis actus proportionatus tali potentia passivæ; sed actus proportionatus potentia passivæ amabili est amor, & volitio formalis, & actus proportionatus infinite amabilitati, ratione summe, & infinite perfectionis est infinita volitio, & infinitus amor; quia finitus amor non habet proportionem adæquationis, & comprehensionis cum infinita bonitate; quia finiti ad infinitum nulla datur proportio æqualitatis: ergo in tota latitudine entis datur infinita volitio, & infinitus, ac summus amor comprehensivæ amans diuinam bonitatem; sed non potest dari in creatura aliqua, ut ex terminis patet, quia actus infinitus adæquatus cum infinita bonitate non est proportionatus creaturæ: ergo talis actus formaliter datur in Deo.

15 Quatto sic argumentor, quia Deus est omnipotens, & infinite productivus, ac proinde infinita potest producere, & non dicitur infinite potest, quia actu producit quicquid potest producere Deum, cere; cum videamus multa posse producere Deum, quæ actu, & simul non produciunt, non quia ex parte creaturarum detur resistentia; quia nihil est quod possit resistere voluntati eius, sed potius dicitur

Quæst. I. Vtrum detur in Deo volunt. 287

dicitur omnipotens, quia quicquid vult, potest producere secundum illud, omnia quæcunque voluit fecit in cælo, & in terra; & illud *apientia* 12. [subest tibi, cum volueris posse;] vnde Augustinus in *Enchiridione*, cap. 96. ait: [nec enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult, potest: ergo in Deo datur voluntas formaliter, & huic rationi supersedeo, quia de illa longius agemus *quæstione sequenti*; ad probandum dari in Deo libertatem formalem.

SECTIO II.

Ratio D. Thomæ explicatur, & defenditur.

- 16 **H**ac ratione demonstrat D. Thomas 1. p. da-
ri in Deo voluntatem, *quæst.* 19. *art.* 1. cuius verba hæc sunt. [Respondere dicendum in Deo voluntatem esse, sicut & in eo est intellectus, voluntas enim intellectum consequitur; sicut enim res naturalis habet esse in actu per suam formam: ita intellectus intelligens actu per suam formam intelligibilem, quolibet autem res ad suam formam naturalem hanc habet habitudinem, ut quando non habet ipsam, tendat in eam, & quando habet ipsam, quiescat in ea, & idem est de qualibet perfectione naturali quod est bonum naturæ; & hæc habitudo ad bonum in rebus carentibus cognitione, vocatur appetitus naturalis; vnde & natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem, similem habitudinem habet, ut scilicet cum habet ipsum, quiescat in illo; cum vero non habet, querat ipsum, & utrumque pertinet ad voluntatem. Vnde in quolibet habente intellectum, est voluntas, sicut in quolibet habente sensum, est appetitus animalis; & sic oportet in Deo esse voluntatem, cum sit in eo intellectus; & sicut suum intelligere est suum, esse ita suum vel-
le.]
- 17 Quæ ratio in hunc modum ad formam reducitur; quia in omni ente datur appetitus qui sequatur formam proportionatam tali appetitui; sed in ente intellectuali datur forma intellectualis, per quam constituitur in esse intellectivi, quæ vel sit forma, vel quasi forma, seu ut melius loquar, ratio formalis intellectivi; ergo in eo datur appetitus intellectivus sequens rationem formalem intellectivi; sed appetitus intellectivus tendens in bonum apprehensum, & intelligibile, est voluntas; ergo in ente intellectivo datur voluntas formaliter; atqui Deus est summum & infinitum intelligens formaliter: ergo habet summam, & infinitam voluntatem formalem.
- 18 Aliter in hunc modum à Patre Herize formatur ratio D. Thomæ. Quæcunque res talem habet naturalem habitudinem ad suam formam, per quam cum illa caret, tendit in ipsam, & cum possidet, quiescit in ipsa: sed res intellectu prædita, est in actu per formam intelligibilem, hoc est per cognitionem, non aliter ac omnis alia res per suam formam: ergo sicut in rebus naturalibus est appetitus naturalis ad bonum, ita in rebus cognoscentibus est habitudo ad bonum apprehensum; igitur est appetitus rationalis, per quem cum habet bonum apprehensum, quiescit in illo per gaudium, cum caret eo, querit ipsum per desiderium, ac subinde in Deo ubi est intel-

lectus, ita est voluntas; sicut in omni habente sensum, est appetitus animalis.

Sed ut meum iudicium proferam, tam mea explicatio; quam explicatio Patris Herize ita enucleant mentem D. Thomæ, ut neque mea adequate exhaustiat plenum sensum illius, neque Patris Herize explicatio, quia in corpore articuli duæ partes reperiuntur, obscuræ quidem, quarum primam mea explicatio declarat, & secundæ partis nucleum in lucem edit discussio Herize, ac proinde duæ illæ rationes ita se habent, ut amice se protegant, & foucant, & ad invicem se confirmant.

Tota difficultas huius rationis D. Thomæ consistit in hoc quod monstratur connexio necessaria inter formam intellectivam, & appetitum, ut ex tali forma appetitus per necessariam consequentiam, & illationem eruat: ego autem relicta aliis minus efficacibus quales sunt ea, quas P. Ruiz. *disp.* 1. *de volunt.* *sect.* 1. à n. 29. *vsque ad* 31. inclusive adducit, hanc meo videri efficacissimam propono, quia omne intelligens per intellectiōnem, per quam constituitur, vel cognoscit obiectum, quod est commodum, & conveniens cognoscenti, vel quod est disconveniens, & incommodum ipsi; sed bonum conveniens, & commodum alicui est amabile ab ipso, cui conveniens est, & id quod est disconveniens est odibile illi; sed id quod est amabile ab aliquo, potest amari ab ipso; quia ut supra probavimus impossibile est, ut aliquid sit capax passive vel quasi passive alicuius actus, & quod non detur capacitas activa vel quasi activa ad reducendum talem capacitatem passivam ad actum, & ideo impossibile est, ut color, & lux habeant visibilitatem, seu capacitatem passivam ut videantur ab oculis, & quod oculi non possint active videre talem lucem & colorem; ergo si id quod commodum, & bonum est mihi est capax, ut ametur, prosequatur & appetatur à me, impossibile erit, quod ex parte mea non correspondeat capacitas quasi activa, quæ amet, prosequatur, & appetat illud; & econtra, si id quod est disconveniens & incommodum mihi, est odibile, & fugibile ut ita dicam, ex eo quod natura quod sibi incommodum est, respuit, atque refugit: ergo ex parte mea debet dari capacitas activa, ut commodum amem, & incommodum, seu disconveniens fugiam, & odio habeam; sed hæc capacitas activa est voluntas, seu appetitus rationalis: ergo appetitus rationalis datur necessario ubi datur forma rationalis, cui conveniens, vel disconveniens sit bonum, vel malum. Ratio autem à priori horum est; quia omne ens inclinatur, & tendit in propriam conservationem & bonum, nam sicut intellectio tendit in verum, spirituale aut corporeum, ita inclinatio spiritualis tendit in bonum sibi conveniens v.g. in propriam perfectionem, & conservationem, quæ est maximum bonum alicuius: ideo enim grane tendit in locum infimum & leve tendit in locum supremum, utpote in proprium centrum, & regionem, quia in illo conservatur. Item in animalibus datur inclinatio ad cibum & ad potum, quæ inclinationes vocantur sitis, & fames, quia cibus, & potus sunt convenientes animali ad propriam conservationem.

Tandem, ideo aqua quando guttatim decedit, ut in rore matutino videre est, conglobatur & se ad sphericam figuram contendit redigere, habetque inclinationem ad illam, quia talis figura aptior est ad conservationem propriam. Itaque omne ens habet inclinationem ad propriam conservationem, & perfectionem: sed omne intelligens est perfectum

Et ens: ergo quatenus tale habet inclinationem, & tendentiam ad proprium bonum; quod sibi representatur ut tale; quia bonum, & commodum, siue conduens ad conseruationem, vel delectamentum entis intelligentis in tantum proxime est tale & potest mouere inclinationem illius, in quantum apparet ipsi, representatur eadem, & quasi approximatur ipsi; sed hoc totum fit, quatenus cognoscitur ab eodem: ergo omne ens intelligens in tantum inclinatur in bonum, in quantum cognoscitur ut tale. Itaque actualis inclinatio necessario, & connaturaliter presupponit cognitionem boni, in quod debet inclinari: ergo etiam potentia ad talem inclinationem petit necessario potentiam ad cognitionem boni, ad quod datur potentia inclinatio; quia sicut se habet actus secundus, ita se habet actus primus; sed actus secundus inclinationis connectitur necessario cum actu secundo cognitionis: ergo etiam actus primus inclinationis connectitur necessario cum actu primo cognitionis. Quae omnia his verbis docuit D. Thomas lib. 1. contra Gent. c. 72. qui optime explicat id, quod docuerat 1. p. ratione, quam explicare contendimus. [Illud, quod consequitur omne ens, conuenit enti in quantum est ens, quod autem est huiusmodi, oportet quod in eo maxime inueniatur quod est primum ens; cuiuslibet autem enti competit appetere suam perfectionem, & conseruationem sui esse, inclinarique in illam, vnicuique tamen secundum suum modum, intellectualibus quidem per voluntatem, animalibus per sensibilem appetitum; carentibus vero sensu per appetitum naturalem, aliter tamen quae habent, & quae non habent per appetituum virtutem sui generis desiderio tendunt ad acquirendum quod eis deest, quae autem habent, quiescant in ipso, hoc igitur primo enti, quod Deus est deesse non potest; cum igitur ipse sit intelligens, inest sibi voluntas, quae placet sibi suum esse, & sua voluntas. Angelicus ergo Doctor duas alta mente considerate videtur formas, atque ad singulas earum suum quoque sequi appetitum seu potentiam inclinatioem, quoniam omnis forma sibi annexit necessario inclinationem ad bonum, & commodum, hoc est ad omne conueniens rei per formam constitutam, tanquam ad medium suae conseruationis ad quam naturaliter vnaquaeque res inclinatur; quia id, quod inclinatur ad finem inclinatur etiam ad medium proportionatum tali fini, sed bonum conueniens conseruationi rei est medium ad talem conseruationem: ergo sicut res constituta per formam intellectualem inclinatur ad conseruationem suam, ita etiam inclinatur ad bonum proportionatum tali conseruationi. Talis autem inclinatio est appetitus proportionatus formae per quam constituitur appetens; sed appetitus proportionatus formae intellectuali, est appetitus intellectualis, scilicet voluntas: ergo omne constitutum per rationem formalem intellectualem necessario habet appetitum intellectualem, seu voluntatem. Nam omne constitutum per rationem formalem intellectualem per actum talis formae attingit obiectum verum, & bonum, & per illam tale obiectum quasi appropinquat cognoscenti ut appetitus feratur in ipsum in quantum supposito conueniens est; ex hoc fit, formam intellectualem dicere connexionem necessariam cum appetitu intellectuali.

21 Ratio autem in qua hoc totum fundatur, est; quia obiectum formae intellectualis, scilicet verum intelligibile necessario connectitur cum bo-

no intellectuali; ita ut id, quod est verum, sit etiam bonum, sicut est ens; sed quidquid datur ex parte obiecti refunditur in id, quod tendit ad obiectum, & omni formalitati obiectiua correspondet formalitas ex parte tendentis ad obiectum, per quam actu tendat in illud; sed obiectum entis intellectualis non solum est verum adaequate, & totaliter conceptum, sed etiam bonum: ergo ex parte entis intelligentis non solum datur potentia ad attingendum illud obiectum ut verum, quae est intellectus, sed etiam potentia, quae tendat in illud ut bonum, quae nihil aliud est, quam voluntas, & sicut ex parte obiecti datur connexio necessaria inter formalitates obiectiuas correspondentes potentis tendentibus in illas, ita etiam potentia intellectus nimirum, & voluntas, quae tendunt in illas formalitates, habent connexionem necessariam inter se.

Quod a posteriori euidenter conuincitur; quia actus intellectus connectitur necessario cum actu voluntatis vel cum exercitio illius, siue sit negatiuum, siue positium: ergo potentia talium actuum necessario connectuntur inter se; quia nihil continetur in actu secundo, quod non continetur in primo; unde ad actum perfectissimum intelligendi necessario annectitur actus perfectissimus voluntatis, ut his verbis docet D. Thomas, ubi supra 4. argumento, capitis 72. [Intelligere quanto perfectius est tanto delectabilius est intelligenti; sed Deus intelligit, & suum intelligere est perfectissimum: ergo intelligere est ei delectabilissimum, delectatio autem intelligibilis est per voluntatem (hoc est actus voluntatis), sicut delectatio sensibilis est per concupiscentiam appetitum:] ergo ad intelligere sequitur necessario actus voluntatis, ac proinde habent necessariam connexionem inter se: ergo etiam intellectus necessario connectitur cum appetitu intellectuali, seu voluntate.

Tandem sic probatur supradicta connexio inter intellectum, & voluntatem; quia omne obiectum est quasi forma extrinseca respectu illius, cuius est obiectum, sed ens intellectuale est obiectum rei constitutum per formam intellectualem, non solum ut est intelligibile, sed etiam ut est conueniens, bonum seu finis illius; quia omnes res tendit in proprium finem, & obiectum, ut formalizetur, & ut ita dicam, extrinsece compleatur: sed omnis forma est attingibilis, & vniuersalis a re cuius forma est: ergo non solum verum, ut verum potest attingi ab ente intellectuali, sed etiam bonum, ut bonum; sed bonum ut bonum, & finis ut finis sub tali ratione formali non attingitur ab intellectu, sed a voluntate: ergo in omni ente intelligenti datur non solum intellectus, cuius actio ne vniatur cum obiecto ut vero; sed voluntas etiam, cuius actu vniatur cum obiecto bono, ut bono, & medio, quo acquirat finem, & perfectionem, seu complementum extrinsecum vel quasi extrinsecum.

Tunc sic, Deus est perfectissimus intelligens, & etiam perfectissimum obiectum, quod non solum est verum, sed etiam bonum infinitum: ergo non solum debet attingere se, ut verum, & infinitum intelligibile, sed etiam ut infinitum bonum amabile, sibi que conueniens, delectabile, & honestum: ergo non solum Deus habet intellectionem, per quam se attingat ut verum vitaliter, & quasi sibi amorem, per quem sibi vniatur ut obiectum bonum. Quod amplius declaratur ex ipsa ratione causandi in Deo qua vtitur ipse Angelicus Doctor ratione 5. eiusdem capitis 72. ibi: [forma per intellectum

intellectum considerata non movet, nec aliquid causat nisi mediante voluntate, cuius obiectum est finis, & bonum, à quo movetur aliquis ad agendum; unde intellectus speculativus non movet, neque imaginatio pura absque æstimatione boni, vel mali: sed forma intellectus divini est causa motus, & esse in aliis, agit enim res per intellectum, oportet igitur quod ipse sit volens.]

SUBSECTIO VLTIMA.

Aliquæ obiectiones contra dictas rationes ponuntur, & dissolvuntur.

26 **P**rimo, quia gradus intellectivus ut sic præcindit à gradu volitivo ut sic, atque ideo gradus intellectivus est superior gradu volitivo: ergo licet in creaturis intellectualibus, quæ de facto dantur, detur simul intellectus & voluntas, nihilominus bene poterit dari, & produci aliqua creatura intellectualis, quæ non sit volitiva, licet sit intellectiva.

27 **V**igetur ac declaratur amplius; quia id quod prius est non dependet à posteriori: sed gradus intellectivus est prior volitivo: ergo gradus intellectivus non dependet à volitivo; sed id quod non dependet ab alio, potest dari sine illo, à quo non dependet: ergo gradus intellectivus potest dari sine volitivo.

28 **S**ecundo confirmatur, quamquam principium intelligendi in creatura rationali coniungatur cum intellectu per discursum; item cum cognoscit per sensum materiale, quia tamen principium illud ex se præcindit à cognitione discursiva, & materiali in Angelo est principium intelligendi seium à discursu, ut plures opinantur, & materiali cognitione certum est: ergo pari ratione, quoniam gradus intelligendi præcindit à gradu volitivo, poterit ab eo seungi per potentiam absolutam, nec consequentia formata ex illo ad hoc evidens erit.

29 **A**d primam nego gradum intellectivum præcindere à connexionem cum volitivo: nam licet non includat intrinsece gradus intellectivus, seu intellectus volitionem, aut voluntatem, nihilominus tamen annotat illam tanquam terminum suæ connexionis necessariæ; quam necessariam connexionem supra efficaciter demonstravimus. Exemplum huius habemus in relatione tam prædicamentali, quam transcendentali; nam licet potentia visiva non includat obiectum in se intrinsece, nihilominus connotat illud tanquam terminum suæ tendentiæ, & relationis: ergo licet intellectus non includat voluntatem, nihilominus tamen poterit connecti cum voluntate, & connotare necessario ipsam, sicut paternitas non includit filium, licet connotet illum, ut terminum essentialem suæ specificationis.

30 **A**d secundam obiectionem concedo intellectum non dependere à voluntate, si præcise loquamur de intellectu, & voluntate ut sic, etsi loquamur de dependentia à priori, nihilominus tamen intellectus connectitur necessario cum voluntate, ut v. g. omnipotentia divina non dependet à creaturis possibilibus, & nihilominus connectitur cum illis, & connotat necessario illas; sicut possibilitas, creaturarum non dependet ab omnipotentia, & nihilominus connectitur cum illa, ita ut non possit dari creatura possibilis sine omnipotentia, essentia non dependet à priori.

I. P. Tom. II.

ri à proprietate, neque materia prima à quantitate, neque natura à subsistentia, & nihilominus illæ non possunt existere sine his propter connexionem necessariam, & naturalem inter ipsas: ergo licet intellectus non dependeat à voluntate propter connexionem necessariam, quam habet cum illa, non poterit esse sine voluntate, & minimum sine connexionem cum illa.

Ad secundam confirmationem dicimus principium intelligendi præcindere à principio ratiocinandi, quod à posteriori colligimus, quia videmus prædicatum intelligendi, (quia communis est, utpote conveniens pluribus, quam convenit prædicatum ratiocinandi, siquidem convenit Deo, Angelis, & hominibus, & prædicatum ratiocinandi solum hominibus, & maximum Angelis in aliquibus casibus, minime autem Deo) esse universalius: sed quod universalis est potest cognosci sine minus universalis, hoc est sine particula, & ideo ens cognoscitur sine substantia, & substantia sine corpore &c. quod cognoscitur sine alio, præcindit ab illo: ergo ex hoc evidenter colligitur intellectum præcindere à discursivo, seu ratiocinativo: sed intellectum ut sic non est universalis, neque communis volitivo; sicut verum non est universalis bono, sed potius æque patet unum, ac alterum, & vtrumque est adequata passio entis: unde in quocunque reperitur intellectum, reperitur volitivum: ergo non præcindit intellectum à volitivo.

QVÆSTIO II.

Vtrum detur in Deo libertas. & in quo consistat actus liber Dei?

SECTIO I.

Sententia adversariorum proponuntur.

PRIMA Sententia docet, nullomodo dari in Deo liberum actum voluntatis: pro qua sententia citatur Averroes, Avicena, Porphyrius, & Theophrastus, cuius verba refert Cartusianus *lib. 1. Sententiarum, distinct. 45. q. 1. colum. 3.* quibus adiungunt multi Aristotelem Peripateticorum principem, de quo hæc verba profert P. Ruiz. *tom. de volunt. Dei, disp. 7. sect. 1.* nec dubitari potest, quin Aristoteles multis in locis, libertatem Deo negare videatur, quam tamen alibi concedit, quod indicium est ambigui, & nutantis animi, qui parvo momento huc, atque illuc impellitur contrariis argumentorum ponderibus.] S. Thomas 2. *contra Gent. cap. 23.* sentit Aristotelem penitus libertatem divinam à medio subtrahisse, quando suppresto nomine dixit, Philosophum posuisse Deum producere res ex necessitate naturæ, quia quidquid vult, vult de necessitate absoluta; hæc sententia manifesta est; quoniam 8 *lib. Physic. tex. 9. & 13. & 10. 52. & 53.* docet Aristoteles, quod primum movens sit incapax mutationis, ac proinde semper in seipso perseverare in eadem dispositione, & ex hoc colligit semper ab æterno & in æternum movere, semperque res omnes ab illo prorsus eodem modo procedere, ac proinde tam mundum, quam cæli motum æternum esse, vivacitatem vero quam in his rebus inferioribus cernimus, provenire ex dissimilitudine.

O o dina,